

157.

Schiffen.

his.



V

0011

(alt. Nr. 393.)

Sammelband von 57 Schriften Theol.,
philos. u. jurist. Inhalts.
von Meier, J. Th.

P. VII. 89.



Q. B. V. D. 35

THESES POLITICÆ
EX ARISTOTELIS LIB. I. POLITIC.

CAP. I. & II. DE PROMPTÆ,

QUAS

Amplissimi Philosophorum Ordinis
indultu,

In Illustri ad Elmum Julia

PRÆSIDE


M. GEBHARDO THEODORO Meier

*Exercitii gratia publicè
defendet*

JOANN-LAURENTIUS BROCKMANN
Hannoveranus

ad d. Decembr.

IN NOVI JULEI AUDITORIO MAIORI.



HELMESTADII,

IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO

Excuderunt JOH. GEORG Täger & MARTINUS Bogel.

ANNO MDCCCXIX.

Q. B. V. D.
THESES POLITICAE
EX ARISTOTELIS LIBRO POLITICORUM
CARL. & M. DEFFENHART
Q. U. A. S.
ANNO 1774
A. I. G. I. T. A. M. J. A. N. U. A. R. I. I.
F. R. A. N. C. O. R. U. M.
M. G. E. R. H. A. R. D. O. T. H. E. O. D. O. R. O. S. M. I. T. T.
T. R. A. C. T. U. S. P. R. I. M. U. S.
JOANN. LAURENTIUS QUODDAM
H. A. M. B. U. R. G.
A. D. P. R. A. E. S. I. D. E. N. S. I. S.
A. M. P. L. I. S. S. I. M. I. S. S. I. M. I. S.
P. R. I. M. U. S.
H. E. I. M. S. T. A. D. I. I.
I. N. T. Y. C. H. A. R. I. S. C. A. L. I. S. T. I. N. O.
E. X. C. U. S. T. R. I. T. J. O. H. A. N. N. E. S. & M. A. R. T. I. N. U. S. B. O. S. C. H.
A. N. N. O. M. D. C. C. L. X. V. I. I.





B. C. O!

THESIS PRIMA.

EJus, quod speciem boni habet, gratia omnes agunt omnia.

Expositio.

Tria sunt agentium genera, uti passim ab Aristotele docemur: Contemplativum, Practicum & denique Effectivum; quorum nullum alicujus boni causa non agit, igitur ejus, quod speciem boni habet, gratia omnes agunt omnia. *Hinc*

II. Omnis Societas boni causa constat.

Vel verè, vel apparentis.

III. Civitas est societas.

Res est in promptu, nec eget disputatione, quapropter Philosophus dicit, videmus omnem civitatem societatem esse. Solet namque voce *πόλις* uti, quando in rebus evidentibus occupatur.

IV. Civitas quæcunque boni causa constituta est.

Vel honesti, vel jucundi, vel utilis.

V. Præstantissima societas, quæque omnes alias continet, præstantissimi & summi boni gratia est.

Fundamentum habetur 3 *Topic.* ubi præstantiori rei præstantiorem finem præfixum esse docemur.

A 2

VI. Ci-

VI. Civitas est præstantissima & summa societas, quæ omnes alias continet.

Multæ quidem & variæ sunt societates, quæ ab instituto & pacto dependent, quæ autem à natura sunt societates, earum sex notare consuevit Aristoteles, & sunt Nuptialis, Herilis, Paterna, Domus, Vicus & Civitas. Hæ societates ita comparatæ ad invicem sunt, ut posterior semper priorem præsupponat, adeoque quinque priores sint partes societatis civilis. Civitas igitur veluti totum omnes alias societates tanquam partes continebit. Porro, quemadmodum particulares societates ad civitatem diriguntur, ita & singularum societatum bona ad universum bonum tendunt & ab hac perfectionem, ordinem & mensuram capiunt. Qua igitur ratione civitas summa & præstantissima societas audeat jam constare poterit. Civitas à nulla alia societate perficitur, ipsa vero omnes alias perficit. Tum enim demum domestica societas debitam adipiscitur perfectionem, quando pars civitatis esse incipit. Junge his *l. i Eth. Nic. cap. 2.*

VII. Alia est ratio regendi civitatem, alia qua administramus familiam; quamvis domus parva quædam civitas, & civitas parva quædam domus videatur.

Hæc cum Aristotele adversus Platonem, qui ita argumentatus fuit: Quæ societates multitudine & paucitate inter se differunt, non autem specie, illarum omnium regendarum est una scientia. Atqui Civitas & Domus multitudine & paucitate differunt, non autem specie. Ergo eadem erit ratio administrandi civitatem, & domum. Respond. Minor est falsa, cum quæ in practicis fines diversos habent, habeant & diversas naturas, specieque distingui recte dicantur. Domestica autem

tem

tem societatis & civitatis non idem est finis, uti sequentia docebunt. Distinctis finibus distincta respondent media, quæ distinctas postulant inquisitiones. Igitur qui regere domum h. e. media perveniendi ad finem familiæ invenire, & præscribere valet, non statim media consequendo fini civitatis facientia excogitare h. e. regere civitatem potest. Quamvis rectè negativè inferre liceat, qui haud satis benè familiæ, multo minus civitati præesse potest.

VIII. Qui nunquam paret, semper autem cum imperio est, βασιλικὸς regius magistratus audit, & opponitur Politico, qui prout præcepta scientiæ politicæ exigunt, mutatis vicibus modo imperat, modo paret.

Duplex hoc imperii genus passim ab Aristotele asseritur, eique addi solet tertium herile, uti infra notabimus.

IX. Politica Aristotelis ad modum scientiæ est conscripta.

Thesin hanc suggerit textus, qui præcepta politica vocat λέγεις τῆς ὀλιγαρχίας. Et vero ut thesi sua constet veritas, pauca eam in rem meditabimur, non vulgi, quod non nisi probabilia in Politicis tractari contendit, sed Aristotelis, aliorumque, quos χείριπτος ex eodem Aristotele vocare consuevimus, vestigia prementes. Quamlibet disciplinam, imo rem aliquam, duobus licet pertractare modis, vel λογικῶς, dialecticè & vulgariter, vel πραγματικῶς analyticè & accuratè. Discrimen duplicis hujus considerationis passim occurrit apud Aristotelem & Græcos Interpretes. Libro I Topic. c. 14. posteriorem considerandi modum appellat tractationem πρὸς φιλοσοφίαν, καὶ ἀλήθειαν, priorem autem dialecticum πρὸς δόξαν. Libro I poster,

ster. c. 16. distinguit illos qui conclusiones ad opinionem diri-
gunt, & dialecticè tantum disputant ex probabilibus ab ijs,
qui ad veritatem suas conferunt probationes, & quid in ipsa
re sit *ἐκ τῶν ὑπαρχόντων* considerant. Capite 19. nec sursum
nec deorsum versus posse infinita esse attributa, probat & *λο-
γικῶς & ἀναλυτικῶς*. Libro 1 Eudem. c. 6. ait, quod οἱ λόγοι, ser-
mones, in quavis methodo differant, & quidam φιλοσοφῶς ad-
hibeantur, quidam μὴ φιλοσοφῶς. Ubi philosophici sermones
ipsi sunt pragmatici, non - Philosophici vero Logici seu diale-
ctici. Est autem λογικῶς progredi nihil aliud, quam rem con-
siderare (1) ex opinionibus aliorū, non prout postulat natura
ejus. (2) ex communibus nō ex proprijs principiis (3) *παχυλῶς*
rudi minerva. (4) opinionis gratia. Contra *πραγματικῶς* progre-
dimur, quando rem consideramus (1) prout in se est, & natū-
ra ipsius requirit. (2) secundū propria principia, non commu-
nia (3) *ἀκριβῶς* & limatius (4) veritatis causa. Ex duplici hoc
considerandi modo scripta quævis vel Exoterica, vel Acroa-
matica dici possunt. Uti autem distinctio Exotericorum &
Acroamaticorum scriptorum ex rebus ipsis non est petenda,
sed potius à modo considerandi: ita etiam an hæc vel illa di-
sciplina ad modum scientiæ conscripta fuerit, non ex rebus
subjectis, sed rectius ex modo considerandi, quo quis usus
fuit, dijudicatur. Certum autem est & constat, illam demum
doctrinam scientiæ nomen mereri, quæ *πραγματικῶς* proce-
dit. At vero Aristoteles in his libris Politicorum *πραγματικῶς*
procedit. Ergo in his libris scientiam Politicam proponit.
Minorem probamus. Nam primò civilem societatem consi-
derat prout in se est, & ex illius natura præcepta politica petit.
Deindè ex principiis propriis non communibus argumenta-
tur. Nam utitur principiis ex natura hominum, quatenus sunt
animalia naturâ politica, nec non societatis civilis, qua talis,
petitis. Porro docendi via est elegans & accurata, quam in se-
quenti

quenti textu innuit & ὑφ' ἡμῶν μέθοδον vocat. Denique non opinionem, sed veritatem sectatur. Hæc satis clarè quidem videntur explicata esse: tamen etiam quæ supersunt non nihil obscura, illustranda sunt. Etenim *primò* objiciunt, scientiam tantum rerum necessariarum esse, non vero contingentium. Alij *secundò* metuant, ne nostrâ doctrinâ discrimen disciplinarum theoreticarum & practicarum destruat. *Postremò* sunt qui Politicam rectius prudentiam dici judicant. Hæc & similia nubem aliquam soli nostro obducunt, quæ tamen levi motu est evanida. Ut enim ad primam objectionem primum respondeamus, præmonendum est, nobis de contingentibus ut plurimum sermonem esse, cum dubium nullum sit, rerum æqualiter aut rarò contingentium scientiam non dari. Hoc notatò dicimus, scientiæ esse, rem considerare prout in se est, ita ut venetur verum, sive illa res sit necessaria, sive contingens ut plurimum. Hoc volumus, non tam ab objecto, quam à modo considerandi dependere ut aliqua doctrina sit scientifica, vel non scientifica. Ut necessaria non solù ad modum scientiæ sed vulgariter etiam, ita contingentia nunc vulgariter hunc ad modum scientiæ pertractare possumus. Verum audiamus illum, qui primus artem demonstrandi nos docuit. Is lib. 2. poster. c. 30. Edit. Pacian. ita habet: *Fortuitæ rei non est scientia per demonstrationem. fortuitum enim nec est necessarium, nec plerumque evenit, sed est id quod præter hæc fit: demonstratio vero est horum alterius. omnis enim syllogismus efficitur vel per necessarias propositiones, vel per eas quæ plerumque veræ sunt. Et si quidem propositiones sint necessariae, etiam conclusio est necessaria. Sin autem plerumque sint vera, etiam conclusio est hujusmodi. Quocirca si fortuitum, nec plerumque est, nec necessarium: non potest esse ejus demonstratio.* Hactenus Aristoteles, quo nemo exactius latitudinem scientiæ exponere habet. Quamvis hæc ita se habeant, non tamen negare possumus, uti demonstra-

tionem

tionem ita & scientiam gradus admittere. Si scientia rem
considerat uti in se est, & vero sunt gradus rerum, etiam illa
gradus habebit. Summus gradus scientiæ in rebus necessa-
riis, remissior in rebus ut plurimum contingentibus cernitur.
Docuit id nos Aristoteles *L. 3. Eth. Nicom. c. 3.* ubi scientiæ re-
rum necessariarum αὐ ἀναγκαῖα καὶ ἀναγκαστῶν τῶν ἐπιτηδεύων salu-
tantur. Nec est quod regeas, in rebus contingentibus nul-
lam esse certitudinem, adeoque nec veritatem. Nam princi-
pia practica utique certa sunt, quamvis ea certitudo in practi-
cis non detur, quæ in Mathematicis occurrit. Rerum con-
tingentium non solum opinionem, sed & veritatem esse fa-
cile est ostendere. Qui contingentia ut plurimum cogno-
vit uti in se & sua natura sunt, nullatenus opinionem sed veri-
tatem venatus erit, quod opinio æqualiter ad utramque con-
tradictionis partem se habeat, cognitio vero ejus quod con-
tingens ut plurimum, æque vera ac falsa esse non possit. Et quid
multis opus, cum & in physicis plurima sint contingentia,
quorum tamen scientia esse dicitur iis etiam, qui quod jam
remotum est objicere solent. Quod *secundam* attinet obje-
ctionē, illa theoreticum esse & scientiā esse pro iisdem habere
viderur, cum nec habitus contemplativus omnis scientia, nec
scientia omnis habitus contemplativus sit. Datur scientia the-
oretica, datur & practica scientia. Notandum saltē, vulgi me-
tum vanū esse, cum, quamvis practica scientia contempletur,
non tamen theoretica dici debeat. Aliud est contemplari,
quod commune omnibus scientiis, aliud in contemplando ac-
quiescere, quod scientiæ theoreticæ, qua theoreticæ, propriū.
In contemplando acquiescere & practicum esse pugnant, non
item scientiam esse & practicum esse, cum scientia, uti dictū,
non sit scientia per & propter contemplationem. Quod
tertiò Politica prudentia salutatur, id fit nobis haud repugnan-
tibus, quod vero inde scientia esse negetur, hoc nobis recla-
manti-

mantibus asseritur. Existimamus enim nos, in rebus ut plurimum contingentibus duplicem habitum occupari, scientiam scilicet & Prudentiam vel artem. Scientia universalis demonstrat, prudentia aut Ars universalis jam ante demonstrata singularibus applicat, uti exemplo prudentiæ juris & artis medicæ declarari posset, si ratio instituti permetteret. Ubi demonstratio & consultatio locum habent, ibi & Scientiæ & Prudentiæ locus aliquis est relictus. Atqui in rebus ut plurimum contingentibus & demonstratio & Consultatio locum habent. Ergo. Subministrat hoc argumentum Aristoteles lib. 3. Eth. Nicom. c. 3. quem omnino hic vide. Verum manum de tabulâ.

X. Prima societas est nuptialis, pars & origo familiæ.

Eleganter Cicero lib. 1. Ethicorû seu Offic. *Prima societas, inquit, est in ipso conjugio, proxima in liberis (rectius, in servis) deinde una domus, communia omnia. Id autem est principium urbis, & quasi seminarium Reipubl.* Nos ita argumentamur: In quam societatem civitas ultimò resolvitur, illa est prima omnium societatum. Nam in universum res ita comparata est, ut quod in resolutione habetur ultimum, id in compositione sit primum. Atqui civitas ultimò in societatem nuptialem resolvitur. Ergo. Scilicet omnes societates naturales nuptialem, hæc vero nullam aliam præsupponit. Cæterum solent hic Interpretes notare descriptionem primæ societatis, quæ ipsis societas, qua copulantur qui se juncti esse non possunt.

XI. Societas nuptialis copulat eos, qui se juncti esse non possunt, ceu marem & fœminam, procreandi causa.

Quæ personæ seorsim sumtæ sunt imperfectæ, nec mu-

B

nus

mas suum ad quod destinatae sunt, altera sine altera explere
valent, illae se junctae esse non possunt. Atqui mas & foemina
sunt tales. Ergo. Eleganter minor ex *lib. 1. Histor. Animal.*
c. 3. demonstratur, ubi Mas animal dicitur quod in alio gignit;
Foemina autem animal, quod in seipso gignit, nec tamen sine
opera interventuque viri. Nec foemina igitur absque mare,
nec mas absque foemina gignere possunt, ad quod tamen à
natura facti sunt, se jungi proinde non debent. Fabulosum
enim dubio procul id, quod apud Pompon. Melam *l. 3. c. 10.*
narratur, esse grandem quandam insulam, quae producat mu-
lieres absque marium coitu concipientes, suaque sponte fo-
cundas.

XII. Coniunguntur mas & foemina non
consilio ac voluntate, sed quemadmodum &
in aliis animantibus & stirpibus natura datum
est appetere, quale ipsum est tale relinquere al-
terum.

Commune animantium omnium est conjunctionis appe-
titus, procreandi causa, & cura quaedam eorum quae procreata
sunt, igitur conjunctio ista non à consilio & voluntate, quae
non cadunt in bruta, sed naturalis erit. Et vero nulla societas
est, ad quam magis homo propendet, quam ad societatem
nuptialem, uti *lib. 8. Eth. c. 12.* pluribus docemur. Est genera-
re, monente Aristotele *l. 2. d. Anim.* opus naturalissimum. At
generare est finis societatis nuptialis, ergo societas haec natu-
ralis maxime erit. Innatum animantibus omnibus, stirpibus
etiam, sibi simile procreare, cujus rei rationem Aristoteles
l. 2. d. Anim. c. 4. tradit. *Unumquodque, inquit, aliud sibi simile
procreare dictum, animal quidem animal, plantam autem plantam,
ut sint semper hoc pacto, conditionemque subeant quoad possunt divi*

nam,

nam, id enim ipsum appetunt universa, gratiaque ipsius omnia agunt, quaecunque secundum naturam agunt. Homo, gratia exempli, in infinitum vivere optat, quod quia in individuo fieri nequit, producit filium tanquam imaginem & alterum ipsum, & sic quasi pater in filio & posteris post funera vivit, ac quodammodo semper est. Denique ne existimes, nos omne consilium in contrahendo matrimonio excludere, distinguenda quaedam ante sunt, quam hinc abeamus. Ut homo appetat conjugium est à natura, habet illud cum animantibus aliis commune: ut vero hoc tempore, hoc loco, cum hac vel illa persona matrimonium ineat, est ab instituto, & consilio eorum, quorum interest, peragi debet. Ex his liquet, Parentes, quique parentum loco sunt, non posse filium cogere, ut ducat uxorem, nec etiam prohibere: num vero, ut hoc tempore, hoc loco, cum hac vel illa virgine ineat, vetare possint, alia est quaestio.

XIII. Et societas herilis copulat eos, qui sejuncti esse non possunt, ceu dominum & servum naturâ tales, salutis ergo.

Quemadmodum artifex & instrumenta, ita Dominus & servus naturâ tales sejungi nequeunt, alter enim alterius poscit opem.

XIV. Qui ratione excellit, naturâ imperat, & dominatur naturâ.

XV. Qui corpore excellit, paret & natura servus est.

Ratio obtinet imperium, quapropter qui rationis usu valet, natura imperare dicitur. Qui vero corpore multum, nihil autem ratione valet, ad servitia præstanda factus est. Corpus enim instar instrumenti est.

B 2 XVI.

XVI. Et Dominus servo, & servus Domino prodest.

Uti Domini salus in imperio, ita salus servi in servitute consistere videtur. Quod namque Dominus ratione providerat agendum, id per servum exequitur. Servus vero, dum servit, utitur ratione Domini, qua absque salvus esse nequit.

XVII. Naturâ distincta sunt fœmina & servus.

Quia aliter imperat maritus, aliter dominus; aliter uxor obsequitur, aliter servus, aliud erit uxorem esse, aliud servum esse. Argumentamur: Quæ finibus naturâ distinctis differunt, natura differunt. Atqui fœminæ finis est procreatio sobolis, servus est salutis & conservationis ergo. Ergo naturâ distincta sunt fœmina & servus. Qui igitur fœminis non aliter quam instrumentis acquirendi utuntur, adeoque inter ipsas & servos non distinguunt, ii ordinem naturæ pervertunt, adeoque à justo longissimè abeunt.

XIIX. Opulenta & prudens natura unaquaque re ad unū duntaxat usum, non ad multos, quorum alter alteri impedimento est, utitur, quomodo pauperes gladio delphico.

Gladius delphicus proverbii loco rem ad diversos usus accommodabilem notat. Ita Erasmus eruditionem delphicum appellat gladium, quod in omni ætate, omni vitæ conditione sit usui.

XIX. Quæ ad unum tantū usum destinantur, melius munere suo funguntur, quam quæ ad multos.

XX.

XX. In barbaris & incultis gentibus foemina & servus distingui nequeunt, sed eodem loco sunt habendi. Nam

XXI. Barbari carent eo, quod naturâ factû est ad imperandum

Hoc est destituuntur usu rationis. Hinc

XXII. Apud barbaros & agrestes maritus est servus, foemina autem ancilla. Et

XXIII. Talium conjunctio non tam est conjugium, quam societas servi & ancillæ.

Juris Romani Doctores, servum & ancillam non conjugio sed contubernio jungi docent. Satis rectè quidem, modo servum servamque naturales intelligerent. Conjugii namque finis non tam est procreare liberos, hac enim ratione brutorû conjunctiones & hominû pari loco essent; quam procreatos rectè in respectu ad Remp. educare, & in studio virtutis informare. Atqui servus, servaque, naturâ tales, ne quidem seipsos, alios quomodo igitur regere possunt? Ergo.

XXIV. Barbarum & servum idem valere docent, quando Barbaris Græcos imperare Poetæ par esse dicunt.

Ita Euripides, Iphigeniam ad matrem Clytemnestram loquentem inducens, Barbaris imperare Grajos par, inquit mater, non Barbaros Grajis: illi namque servi, hi liberi. Quo pertinet Aristotelis consilium, quod Alexandro eum dedisse scribit Plutarchus in libello de Alexandri fortuna priore, ut Græcis tanquam princeps, Barbaris tanquam Dominus imperaret.

B 3

Ex

XXV. Ex societate nuptiali & herili proximè quæ componitur societas, Familia dicitur.

Tres igitur personæ faciunt & absolvunt familiã, Maritus, Uxor & Servus, plures quidem in domo esse possunt personæ, attamen illæ necessariò veluti partes essentielles non requiruntur. Vocatur Domus prima societas respectu nuptialis & herilis, ex quibus proximè componitur.

XXVI. Domus est societas ad usum quotidianum naturâ constituta

Omnis societas est ob communicationem bonorum, quibus indigentia humana expletur. Quædam autem bona, veluti vitæ quotidianæ instrumenta, omni die requirimus, & horum communio cernitur in familia. Hinc Charondas domesticos ὁμοσιπύους ex eadem arca panaria viventes; & Epimenides Cres ὁμοκίπυους, eodem foco & igne utentes, vocat.

XXVII. Pagus est societas è multis domibus prima, non usûs quotidiani ergo.

Proximè ex domibus multis quæ conflatur societas pagus vocatur, communicans ea bona, quæ non omni die, sed aliquando ad expletionem indigentia humanæ requiruntur. Benè Thomas in comment. *Omnis, inquit, humana communicatio est secundum aliquos actus. Actuum autem humanorum quidem sunt quotidiani, sicut comedere, calefieri ad ignem. Quidam autem non sunt quotidiani, sicut mercari, pugnare & alia hujusmodi. Domus est ad actus quotidie agendos, vicus ad actus non quotidianos.*

XXIX. Maxime naturâ videtur pagus, colonia domus esse.

His verbis naturalem ortum pagi delineat Aristoteles, qui ita se habet. Cum domus nimis numerosa fieret, ita ut omnes

omnes nepotes abnepotes ob multitudinem capere non posset, exierunt & ædes vicinas domui patris junxerunt, quod quasi est coloniam ducere. Hac ratione autem paulatim, crescente numero familiarum, oritur pagus, eleganter in Græco *ἄμικια* dicitur, quasi exitus *ἄπὸ τῆς οἰκίας*. Notandum porro, ad eum modum, quem hic notat Aristoteles, sensim fieri pagum, vocarique tum primæ formæ pagum. Hujus elegans exemplum habemus in notis Ludov. Vivis ad August. d. Civ. D. lib. 15. cap. 8. *Fuit memoria Patrum vicus pene centum domorum in Hispania, cujus omnes incolæ erant à sene quodam, qui adhuc vivebat, progeniti, ita ut propinquitatis nomen jam deesset, quo à minimis natu uteretur. Lingua enim nostra supra abavum non ascendit.* Aliquando vero contingit, ut è variis locis homines, nullo sanguine inter se juncti, in unam sedem coeant, atque illic domicilia sibi figant, quomodo subitò & momentò pagus existit, diciturque secundæ formæ pagus. Exemplo sit Roma constituenda.

XXIX. Principio rerum, gentium nationumque imperium penes Reges erat.

Civitates & gentes ortæ sunt ex domesticis societatibus, igitur homines, qui primi in civitatem coierunt, assueti imperio unius, non alio quam regio imperio regi voluerunt. Hinc sua Regno antiquitas, & ex antiquitate dignitas constat.

XXX. Civitas est societas ex pluribus pagis perfecta, omnis jam sufficientiæ finem habens, orta quidem causa vivendi, permanens autem benè vivendi causa.

Quot verba tot pondera, quæ paucis pensanda. Definitum est Civitas, cum urbe haud confundenda. Uti namque templum & ecclesia, ita urbs & civitas differunt. Hinc urbs
falva

salva manente civitate, & civitas illaesa urbe perire potest, uti
vel historia Romana testatur. Quin fieri potest, ut una civi-
tas per multas urbes, locorum intervallo disjunctas, sit disper-
sa, quomodo civibus ejusdem civitatis distinctae urbes ho-
spitia praebent. Exempli loco esto Germania, quae una ci-
vitas, quamvis bene multas includat urbes. Deinde non ne-
gligendum Civitatem duobus accipi modis, vel enim notat
multitudinem civium inordinatam, vel vero caetum civium
ordinatum. In priori significatione civitas contradistinguitur
Reipubl. quae vita civitatis *4. Polit. c. 11.* dicitur, non aliter ac
anima corpori. Hac ratione civitas notat multos cives, Resp.
vero ordinem inter multos illos cives descriptum, & in imperan-
do ac parendo consistentem. Posteriori significatione civium
multitudo cum ordine designatur. Ita plura requiruntur ad
cognitionem civitatis, quam ad cognitionem Reipub. Verum
ne justo prolixiores simus, ad definitionem properamus. Ge-
neris loco est *Societas*. Nam omnis civitas est societas, non
autem omnis societas est civitas. Prius ex *l. 8. Eth. Nicom.* pro-
bare lubet. In civitate juris usus maximus est, atque non-
nisi in societate jus esse solet. Ergo. Posterius liquet, cum
domus societas sit, nec tamen civitas. Quando autem civi-
tas societas dicitur, docemur quaedam in civitate debere esse
communia, quod omnis societas, amicitia etiam, sit commu-
nio boni gratia. Communio ista non est omnium omnino
rerum, veluti uxorum, sed includit communicationem Sena-
tus, Magistratus & Judiciorum, conjunctam cum mutua de-
fensione, jure connubiorum, aliisque amicitiae officiis, ad
quae non solum alicui, ut vitam, sed ut beatam degat vitam
tenemur. Societas haec originem ex pluribus pagis trahit.
Ex plurimis familiis, mediantibus pagis, fit civitas, quae est
societas hominum, non qua hominum, sed qua patrum fami-
lias. Inde tot sunt in civitate cives proprie ita dicti, quot
nume-

numerantur Patresfamilias. *Perfecta* deinde dicitur societas civilis respectu illarum societatum ex quibus est composita. Domus exempli gratia, Vicus etiam, tota tam varios hominum ordines non habent, quot & quibus opus est ad *αὐτάρκεια* civitatis, quapropter merito imperfectæ societates, civitas autem perfecta judicatur. Reliquæ societates maximam partem bona corporis & fortunæ intendunt, civitas præterea & animi bona. Denique civitas omnis sufficientiæ terminum habere dicitur, quod quomodo intelligi debeat, non usque quaque inter Doctos constat. Existimamus nos, *αὐτάρκεια* non simpliciter superabundantem cumulum bonorum in una civitate requirere, sed tantum quantum satis est vitæ civili degendæ. *Quapropter felicitas maxima est, iudice ipso Aristotele l. 4. Polit. c. 11. p. 261. eos qui versantur in Rep. fortunas habere medias & quæ satis sint.* Nec necesse ducimus, ut civitas omnia necessaria vitæ præsidia domi habeat, cum sufficiat, si aliunde liceat importare, quæ præter domi nata aut facta ad finem obtinendum desiderat. Denique est civitas nata vivendi causa, existit tamen bene vivendi gratia. Aliud est occasio, qua nata civitas, aliud finis cuius gratia existit. Occasio natæ civitatis dubio procul est expletio indigentia humanæ; finis autem est felicitas civilis, quam libro primo Eth. descriptâ habemus. Notandæ in textu sunt voces, *ἡμεῖς* & *εἶναι*. Scilicet *πόλεως γενόμενης* finis seu occasio est vivere, *πόλεως* autem *εἶναι* beatè vivere. Quantumvis autem in universali ad eum modum rectè finis civitatis constitutus sit, scopus tamen ratione variarum civitatum & diversorum, quibus inicitur civilis societas, modorum sæpe longe est diversus. Hactenus descriptio Civitatis.

XXXI. Civitas naturâ est, siquidem etiam primæ societates.

C

Hic



Hic originem & causam constitutarum civitatum describit Aristoteles docens, eam à natura esse. Ita autem argumentatur : Si societates primæ sunt naturâ, erit & civitas naturâ. Atqui verum est prius, quemadmodum supra ostensum. Ergo & posterius. Per societates primas intelligit eas, quæ sunt priores civitate, & ex quibus componitur societas civilis. Sequitur jam ratio connexionis.

XXXII. Societas civilis est finis primarum societatum.

XXXIII. Natura autem est finis. *Nam*

XXXIV. Quale quidque est ortu perfecto, talem dicimus naturam esse cujusque, ut hominis, equi, domûs.

Argumentum Aristotelis non tam probat, civitatem à natura quam naturam esse, quæ hîc ultimam rei perfectionem denotare videtur. Verùm argumentamur: In quo natura acquiescit tanquam in fine, illud veram rei naturam & perfectionem continet, quod inductione nullo negotio probatur. Atqui in Civitate acquiescit natura. Ergo erit natura & perfectio omnium primarum societatum. Et vero ut constet an & quatenus civitas à natura constituta dici debeat, aliquot propositionibus rem omnem includemus. I. Aliud est à natura, aliud à jure naturæ esse. Multa juri naturæ sunt convenientissima, quæ à natura esse dici haud debent. II. Ad id ut aliquid à natura constitutum esse dicatur, non necessario requiritur, ut cum ipso homine cœperit. III. Etiam extra civilem societatem sic satis feliciter homines vivere possunt. Ita in primordio rerum, quando nondum erant civitates, homines in familiis & pagis commodâ non solum sed & beatâ vita fruebantur. Instructi enim à necessariis vitæ præsidiis virtuti eatenus vacabant, quatenus occasio postulabat, quod

ad beatitudinem sufficere videtur vel ipsi Aristoteli, qui rem hanc *lib. 1. Eth. Nic. cap. 10.* similitudine ab Imperatore belli & artificibus desumpta illustrat, quam vide. IV. Postquam homines in immensum crescere, & alter alteri diabolus esse cœpit, non potuit non natura civilem societatem introducere, quippe extra quam beata vita obtineri hodie nequit. Quod si vero intra limites recti honestique se continuissent homines, natura amplâ ista civili societate carere potuisset. Necessitate igitur quasi adacta natura introduxit civitatem. V, *Libros. Eth. Nic. c. 5.* civitas ex indigentia originem traxisse, eâque pene solâ constare legitur. VI. De Origine civitatis modo non innumeræ sunt Auctorum sententiæ. Vid. Hugo Grotius *l. 1. de I. B. & P. c. 4, §. 8.* Bodinus *l. 1. d. Rep. cap. 6.* Adam Contzen *l. 5. Polit. c. 8.* Boxhornius *l. 1. Inst. pol. c. 2.*

XXXV. Homo est animal politicum.

Animal duobus modis politicum Aristoteli dicitur: nunc generaliter, pro eo quod amat societatem, nunc specialiter pro eo quod ad societatem civilem colendam aptum natum est. Priori modo sumitur *l. 1. Hist. Anim. c. 1.* quando Animalia in politica h. e. gregalia & solivaga distinguuntur. Posterior significatio hic locum invenit, quando Homo animal natura Politicum dicitur.

XXXVI. Qui est ἀπολις suo ingenio aut culpa, non autem fortunæ vi, aut Deus, aut bestia est.

Aut homo hominem se præstat, aut vero eum exuit. Illo modo aut virtuti vel vitio, aut Continentiæ & Tolerantiæ, aut Incontinentiæ & Mollitiei deditus est, quæ virtutes & vitia conjuncta cum justitia vel injustitia universali non nisi in civitate locum habent. Quando autem exuit hominem, vel conditionem & sortem humanam transgressus est, vel vero



infra brutorum secula sese abiecit. Hinc vel Heros, vel bestia existit. Heros aut quia sibi sufficit, nec eget contubernio civium; aut quia virtus ipsius locum nullum invenit in civitate, digneque aestimari, & quod sequitur suum Heroi tribui nequit, civitate abstinet. Agrestis autem homo, prorsus ut bellua, ineptus est ad societatem civilem colendam, utpote qui nec amicitiae nec juris amplius capax est. Nam homo non eatenus quatenus rationem habet, sed quatenus ratione utitur & amicitiae & juris capax esse dicitur. Hinc ejusmodi sylvestris homo est sine lege, sine religione, sine domo, similis volucris, quae quo magis sunt solitariae eo sunt ferociores, caeve impatientes. Homo autem animal naturam politicum est, quia

XXXVII. Si homo non esset animal naturam politicum, frustra ei datus esset sermo. At

XXXIIX. Natura nihil facit frustra.

Esse hominem animal naturam politicum, & quidem magis quam apes, in quibus jucundum & elegans simulacrum civitatis & imperii cernere licet, quod omnium accuratissime explicavit Ludovicus Granatensis in *de Philosophia Christiana cap. 20.* argumento quodam statuminat, quod audiemus. Homo, colligit Philosophus, est animal naturam politicum, quia alias sermo frustra ei esset datus. Et maxime inter omnia animalia est politicum, quia ex omnibus animantibus unus homo sermone utitur. Sermonis autem nullus est usus praeterquam in civitate. Hactenus Aristoteles, quem magni quidem merito suo facimus, non tamen regulam veritatis constituimus. Videndum proinde est, an homo sit animal naturam politicum, & an ratio Aristotelis id evincat. Certum est infelicem mortalium si spectemus conditionem, neminem extra civitatem aut tuto aut bene posse vivere, ideo quilibet
in ci.

in civitate aliis se adjungi vult & gaudet. Ast quia hoc per accidens fit, ideoque Aristoteli de ejusmodi appetitu non est sermo; sed quæstio ipsi est, an homo per se sit animal natura Politicum. Aristoteles affirmat, alii negant. Negantium fundamenta habentur in expositione §. 35, quibus unicum saltem hac vice addimus. Scilicet ad felicitatem civilem non sufficit, ea habere, quæ vita requirit, nec non operari secundum virtutem, sed amplius requiritur optimus vitæ status, qualis est civilis. Philosophia practica hominem ejusque bonum in perfectissimo gradu describit. Alterum quod attinet, tenendum est, Aristotelem firmiter docere hominem esse animal natura Politicum, non autem sufficienter probare. Non enim sequitur: Natura concessit homini sermonem, ergo homo est animal natura politicum. Sermonis usus aliquis & extra civitatem cernitur. Hoc sequitur: Homo habet à natura sermonem. Ergo naturam propendet ad societatem.

XXXIX. Vox est rei tristis ac jucundæ nota, hominique cum aliis quibusdam animantibus communis.

XL. Sermo rerum utilium inutiliumve, ideoque & justus & injustus index est, & propterea solis hominibus proprius.

Ne in præsentia doctrina vocem cum sermone confundere-remus duabus his thesibus cavet Aristoteles, quibus aliquam lucem ex lib. 4. Hist. Anim. c. 9. scenerabimur. Differt proculdubio, inquit ibi Philosophus, vox à sono, & tertia his annumeranda res est, locutio. Sonus inanimatis, vox animatis, sermo soli homini competit, & est dearticulatio vocis per linguam ex intelligentia profecta. Vox & sermo igitur multis modis differunt. Sermo vocis per linguam explicatio est. Sermo-

cinari proprium hominis est, vox in bruta etiam cadit. *Quibus locutio*, habet Aristoteles cit. loco, *iis etiam vox: at quibus vox, non iis omnibus & locutio est.* *Qui surdi jam inde ab ortu naturæ sunt, iidem etiam muti: vocem ergo emittere possunt, sermonem autem nullum.* Non perinde fermo ut vox per naturam provenit, sed acquiri potest per disciplinam & studium. Unde homines quoque sermone utuntur vario, cum vocem omnes reddant eandem. Denique vox jucundi & molesti, fermo honesti inhonestique interpretis est.

XLI. Præ cæteris animantibus hoc proprium est hominis ut soli boni & mali, justi & injusti & aliorum sensum habeant.

Non nisi namque ratiocinando justum injustumve sentimus. Quia igitur bruta prorsus ratione destituuntur, nec juris nec injuriæ propriè capacia sunt. Dicimus propriè; nam qua ratione virtutes naturales *lib. 6. Eth. Nic. c. 11.* brutis tribuuntur, eadem & jus ipsis tribui potest. Quapropter immerito vapulant *Jcti Romani*, quasi absurdè dixerint: jus naturæ est quod natura omnia animalia docuit. Taceo, *Aristoteli lib. 5. Eth. Nic. c. 9.* inanimata, nedum bruta, injusta quodammodo agere, cum *Jctis bruta pauperiem fecisse* dicantur.

XLII. Civitas natura prior domo est & unoquoque nostrum. *Nam*

XLIII. Omne totum natura prius est suis partibus. *Nam*

XLIV.

XLIV. Destructo toto, desinunt partes, & non nisi æquivoce tales sunt. *Nam*

XLV. Omnia desiniuntur opere & facultate.

Et civitas prior domo, & hæc illâ prior est, cum prius aliquid multis modis dicatur. Civitas domo prior est naturâ, ortu vero & generatione posterior. Prius hoc argumento probatur: Omne totum natura prius suis partibus. Ergo civitas natura prior est domo & unoquoque nostrum. Majorem ita demonstramus. Id dicitur natura prius à quo non fit conversio. Atqui pereunte toto pereunt partes & æquivoce saltem tales sunt, non autem interempta parte interit totum. Posterius constat. Prius probatur thesi ultima, quæ ex *lib. 4. Meteor cap. 12.* est desumpta, ubi ita docemur. *Suo munere ac officio desinita sunt universa. Nam quæ suo fungi munere queunt, singula verè sunt: ut oculus si cernat. quæ vero nequeunt, æquivoce: ut emortuus lapideusve oculus non enim serra lignea, præterquam serræ imago ac effigies est.* Uti igitur manus, quando desinit esse pars hominis, manus amplius non est; ita nec homo, qui membrum civitatis esse desinit, amplius homo, sed aut Deus aut bestia est. Partes enim extra totum salvæ esse nequeunt.

XLVI. Qui primus constituit civitatem, maximorum bonorum auctor extitit. *Nam*

XLVII. Quemadmodum perfectum optimum omnium animalium homo est: sic secretum à lege ac justitia *h. e. extra civitatem vivens* pessimum omnium. *Nam*

XLIX.

XLIX. Malefica valde est injustitia armis instructa. *Et vero*

XLIX. Homo armis munitus nascitur, prudentia & virtute, [*naturalibus scilicet*] quibus indifferenter ad bonum & malum uti possumus. *Igitur.*

L. Scelestus & ferus maximè est homo sine virtute, ventrique & Veneri deditissimus.

Vid. *l. 7. Eth. Nic. c. 6.* ubi ratio principium nocendi satis rectè dicitur, quod facultas naturalis intelligatur. Hinc milies plura mala homo malus fecerit, quam bestia. Homo, non bestia, homini Diabolus.

LI. Nulla virtus æque civitatem continet ac justitia. *Nam*

LII. Jus est ipse ordo civitatis.

Quapropter quot ordines, tot sunt species juris.


LIII. Judicium juris injuriæve dijudicatio est.


Vid. *lib. 5. Eth. Nic. cap. 6.*

F I N I S.









35

Q. B. V. D.
THESES POLITICÆ
EX ARISTOTELIS LIB. I. POLITIC.

CAP. I. & II. DE PROMPTÆ,

QUAS

Amplissimi Philosophorum Ordinis indultu,

In Illustri ad Elmum Julia

PRÆSIDE

M. GEBHARDO THEODORO Meier

Exercitii gratia publicè

defendet

JOANN-LAURENTIUS BROCKMANN
Hannoveranus

ad d. Decembr.

IN NOVI JULEI AUDITORIO MAIORI.



HELMESTADII,

IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO

Excuderunt JOH. GEORG Täger & MARTINUS Vogel.

ANNO MDCCCXIX.

